

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis  
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg  
Green, Georg Sigismund**

**Vitembergae, 1700**

§. X

**urn:nbn:de:bsz:31-105555**

quidem Paulus de impetrata misericordia poterat esse securus: quia juxta cum aliis Gentilibus & Judæis fuit *blasphemus, & persecutor, & violentus*. Sed misericordiæ & longanimitati semper patulæ, id tribuit: *Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Jesus Christus πᾶσαν μακροθυμίαν, ad sistendum exemplar iis, qui deinde credituri sunt in ipsum ad vitam æternam. 1. Tim. 1, 13, 16.* Sic frustra militem in acie constitutum, frustra tentatum, frustra datum ad supplicia, soleris, ac Verbo Evangelii erigas: quia regerent omnes: elapsum esse gratiæ terminum, actum de salute sua esse & conclamatum. Sed o barbaram & horrendam doctrinam, quæ hominem in barathrum æterni exitii agit præcipitem!

## §. X.

Frustra etiam IV. Ministerium sacrum, lapsos ad pœnitentiam cohortatur: cur? quia in amplissimo auditorum cœtu, ne unus quidem futurus est, qui semel iterumque & sæpius lapsus se non fateatur, vel certe fateri debeat: *peccata quis intelligit? Psal. XIX, 13.* Jam per hypothesein fanaticam, termino peremptorio exclusos a Dei gratia dixerimus omnes: Nec Legis adeo nec Evangelii vistanta fuerit, ut converti amplius queant. Ac proinde frustra Paulus Corinthios alloquitur: *Deo obsecrante per nos, rogamus pro Christo: reconciliemini Deo. 2. Cor. V, 20.* Cum tamen inter hos conspiceret mœchum enormem, quem ipsum sigillatim in gratiam receptum volebat. *cap. VII, 8. 9. Vid. Cyp. Lib. IV, Ep. 2, p. 118.*

## §. XI.

Præterea V. ipsum salutis centrum, h. e. Meritum Christi, hæc ferit assertio. Scribit Joannes: *Filioli mei ne peccetis: Sic Legem tractat etiam apud regegnos, ceu filios*